

✓



**ULB Halle** 3  
005 090 946  




OPB 200, Kapsel (13)









90

EX METAPHYSICIS  
Qvæstionem:

# An inter Personas

S S. TRINITATIS Principii &  
Principiati respectus locum  
inveniat?

*Publica συζητήσες*  
*Ad diem VIII. April.*  
*exponunt*

PRÆSES


M. JOHANNES Müller/

&

RESPONDENS

CHRISTIANUS SAMUEL Ziegra/

WITTEBERGA-SAXO.



WITTEBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LXXVI.





EX METAPHYSICIS  
QUESTIONIBUS  
AN IMET PERSONAS  
S. S. T. R. I. N. I. T. A. T. I. S. P. R. I. N. C. I. P. I. I. S.  
P. R. I. N. C. I. P. I. A. T. E. S. T. E. S. T. I. S.  
I. N. V. E. N. I. E. N. T. I. A.  
P. R. I. N. C. I. P. I. A. T. E. S. T. E. S. T. I. S.  
P. R. I. N. C. I. P. I. A. T. E. S. T. E. S. T. I. S.  
M. J. O. H. A. N. N. E. S. S. @. I. I. I. I. I.  
P. R. I. N. C. I. P. I. A. T. E. S. T. E. S. T. I. S.  
C. H. R. I. S. T. I. A. N. N. S. A. M. U. E. L. S. I. I. I. I. I.  
W. I. T. T. E. R. B. E. R. G. I. S. S. A. S. S. I. I. I. I. I.  
I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. E. S. S. A. S. S. I. I. I. I. I.  
W. I. T. T. E. R. B. E. R. G. I. S. S. A. S. S. I. I. I. I. I.  
I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. E. S. S. A. S. S. I. I. I. I. I.  
I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. E. S. S. A. S. S. I. I. I. I. I.



083200, Kapsel (13)







## CUM DEO!

### §. I.



Illium in Divinis per æternam generationem à Patre, Spiritum verò Sanctum per spirationem à Patre & Filio simul esse, tenet, qui prima saltem fidei Christianæ rudimenta posuit. Eâ igitur occasione disputari in Scholis coeptum est, an quoque eatenus Pater Principium Filii, & hic è contrario Principium Patris, rursus, an Pater & Filius Principium Spiritûs Sancti, ipseque Flatus Sacer Principium illorum rectè appellentur? Ac quod quidem ad primam quæstionem spectat, è Sanctorum Patrum corona Divus Ambrosius Lib. de fide ad Gratianum c. 5. statuit, Patrem in Divinis non debere vocari Principium Filii. Sicut & Hilarius Lib. 4. 9. & II. de Trinitat. Patrem Autorem Filii, & Filium Patri Autori coæternum dicere mavult. Alii autem nonnulli, utut Patrem esse Principium Filii admittant, priorem tamen esse Filio dissentunt, non advertentes, unâ se redde-



re manu , quod alterâ auferunt. Etenim Principium, quod vel ipsum nomen cluit , sine prioritate ne mente quidem concipi potest. Referendi autem huc sunt Damascenus Lib. 5. de Orthod. Fid. c. 4. & Thomas part. 1. quæst. 33. a. 1. Quid? quod & ipse Scheiblerus Lib. 1. Metaph. cap. 21. postquam præcedentibus duabus Adfertionibus concesserat , Patrem dici posse Principium Filii, posse etiam dici priorem Filio , tertio tamen loco addat, cautius esse , dicere , Patrem non esse priorem Filio. Cùm enim , ait , potissima significatio prioris sit , secundum quam significat prioritatem temporis , consequitur, hanc locutionem ( Pater est prior Filiô ) ingerere hanc opinionem , quasi tempus aliquod sit , in quo fuerit Pater, nec tamen fuerit Filius ; id quod Arianum est.

## §. II.

Verùm rectiùs alii, Patrem Filii Principium ( & sic Filio etiam priorem ) haud incongruè dici posse, persuasum habent ; si modò Principii terminus rectè explicetur , & ab imperfectione , quam adhærentem interdum habet, purgetur. Stant ab hac parte Scotus 1. sent. dist. 12. qu. 12. Fonseca Lib. 5. Metaph. c. 1. quæst. 3. sect. 2. Suarez, Tom. 1. Metaph. disp. 12. sect. 1. Rodericus de Arriaga Lib. 1. Physicor. c. 1. sect. 1. Beat. Scharfius Theor. Transcendent. d. 10. Gurkius Contemplat. Metaph. d. 7. Magnif. Dn. D. Calov. in Metaph. Divin. pag. 469. Ebelius Colleg. Metaph. disp. 22. sect. 2. a. 2. Frommius Exercitat. Metaph. pag. 269. alii. Addatur & Scheiblerus loc. cit.

## §. III.

Etenim Principium in Philosophia Prima communiter describitur per id, quod prius est alterô, quod (alte-  
te-



terum) ab ipso quocumque modo procedit. Unde patet, Principium formaliter tria includere (1.) prioritatem, (2.) respectum ad alterum, (scil. principiatum,) & (3.) hujus processionem aut consecutionem. Solent autem Doctores Metaphysici hæc ita explicare, quod primò intelligatur prioritas quæcunque, quæ se indifferenter habeat ad omnia genera, sive fuerit prioritas naturæ, sive temporis vel durationis, sive denique ordinis. Deinde quod tò alterum non fumatur strictè, quasi illud semper peculiarem à principio essentiam habere debeat; sed latè, ut ad quodvis, quod verè consequitur principium, applicari possit. Denique quod consecutio non semper effectiva sit vel causalis, adeoque cum dependentia conjuncta, sed quod sufficiat ad illam, si unum ab altero verè procedat.

#### §. IV.

His ita suppositis, concedimus, quod Deus Pater non sit prior Filio naturâ. Cum enim Pater & Filius (uti & Spiritus Sanctus) ejusdem sint naturæ seu essentiæ, nulla in iis prioritas aut posterioritas naturæ locum inire potest. Admittimus etiam, quod non sit prior tempore s. duratione; nam Personæ Sanctæ Trinitatis ut *ὁμοῦσμοι*, ita & *ὁμοαιώνιοι* vel coæternæ sunt. Est tamen prior ordine; & quidem ordine non dignitatis, sunt enim iterum Personæ divinæ *ἰσοτιμοι* i. e. ejusdem dignitatis; nec locationis, ac doctrinæ, aut si quæ alia adhuc est ratio ordinis cum imperfectione conjuncta; sed ordine simplicis originis naturalisque enumerationis. Pater enim in Divinis essentiam numero eandem à seipso, Filius verò à Patre (sicuti Spiritus Sanctus à Patre & Filio simul) habet; unde prioritas simplicis originis pater. Quam verò prioritatem enumerationis naturalis porrò appello, quia non præcisè ex arbitrio nostro dependet, sed desumitur ex natura rei, nobis in Scriptura Sacra revelatæ, quatenus Pater fo s



& origo Deitatis est, & Filius ab ipso per æternam generationem, ( Spiritus autem Sanctus ab utroque per æternam spirationem ) essentiam communicatam habet : unde & Pater prima, Filius secunda, ( Spiritus Sanctus tertia ) Deitatis persona dici consuevit. Equidem, quemadmodum ratio Principii in divinis planè singularis est, & longè alterius conditionis, quàm in rebus creatis reperitur : ita & modus prioritatis hoc loco peculiaris ac eminens est, ut scire loquitur Swarezius, citante Domino D. Calovio *Metaphys. Divin.* pag. 468. Eam tamen idcirco planè negare velle, absolum omninò foret.

### §. V.

Hoc primum est. Secundò verò Filium, quem tanquam alterum Pater respicit, peculiarem à Patre tanquam Principio essentiam non habere, vel ex jam dictis constare potest. Sed quid tum? Unitas enim, Veritas & Bonitas, reliquaque entis attributa aliam ab ipso ente essentiam non habent, & tamen hoc illorum Principium esse rectè statuitur. Ita & cum attributis Dei & spiritus ut sic comparatum est. Nec dispar ratio, quando in Ontologia aut in Theologia naturali unum Attributum est Principium alterius, e. gr. Unitas in Ente simplicis ac compositi, Immutabilitas in DEO Æternitatis &c. Satis enim híc est, quòd illud, quod Principium est, prius à nobis apprehendatur, alterum verò quoad nostrum concipiendi modum necessariò inde fluat atque resultet.

### §. VI.

Quà tertium non intellectam in præsentí negotio volumus talem consecutionem vel processionem, quæ cum dependentia ejus, quod est à Principio, sit conjuncta; sed quæ eam excludat. Solent enim Doctores Sapientiæ  
Pri-



Primæ distinctionem constituere inter Principium *πρώτως* sive primariò, & *δευτέρως* s. secundariò & per Analogiam (internam) tale. Illud vocant, à quo aliquid dependet vel in esse, ut filius à patre, calceus à sutore, corpus à materia & forma &c. vel in cognosci, ut canis à latratu, ignis à fumo &c. Hoc appellant, à quo aliquid citra dependentiam procedit, vel communiter, ut Consul est Principium Senatûs, Exordium Orationis &c. vel eminenter; & sic nos dicimus, Patrem in divinis esse Principium Filii: ubi omnis non modò dependentia, sed & imperfectio quæcunque, quæ adhuc cum Principio communiter tali, dependentiam excludente, conjuncta est, simpliciter expirat.

### §. VII.

Equidem, Filium Dei à Patre dependere, Calvinianorum bene multi adserere non erubescunt, ut vel ex Timptero, Goclenio, atque Alstedio constare potest. De Photinianis res notior est, quàm ut explicatione indigeat. Ex Pontificiis quoque easdem tibias inflat Arriaga Tom. I. in Thom. d. 50. s. 5. & d. 44. s. 1. nec non ex nostris Dn. Slevogt Disp. Acad. 10. At enim verò magnum illos errorem committere, requisita Dependentiæ propriè sic dictæ ostendunt. Debet enim dependens omne (1.) naturâ posterius esse eò, à quo dependet, (2) ab eo suum esse habere, & (3) essentiam obtinere saltem numero distinctam ab eo, à quo dependet: horum verò primum & ultimum nequaquam in Filium Dei quadrare, vel superius disputata evincunt. Vid. interim Magnif. Dn. D. Calov. Metaph. Divin. p. 429. 441. 442. Scheibl. Lib. I. Metaph. cap. 3. tit. 4. art. 2. Autoresque ibi citatos. Voët. Phil. Prim. Reform. cap. 13. n. 5. Ebelium Colleg. Metaph. disp. 13. sect. 2. art. I. pag. 208. Fromm. Exercitat. Metaph. Lib. 2. c. 12. qv. 1. &c.

### §. VIII.



## §. VIII.

Jam formatò, quantum satis esse censeo, controversiæ statu, ita argumentor: Quodcunque est prius altero, quod ab ipso quocunque modò procedit, illud est ejus Principium. Pater in Divinis est prior Filiò, qui à Patre quocunque modò procedit. Ergò Pater est Principium Filii. Major procedit à definitione ad definitum. Minor probatur, quia Pater per æternam generationem eandem Filio essentiam communicat, vid. §. IV. Firmiter igitur talo non stare non conclusio potest. Ut nihil nunc commemorem de consensu Ecclesiæ orthodoxæ, quippe, quam Patrem Principium Filii nuncupasse, relatum legimus. Unus modò in medium prodeat Augustinus, qui Lib. 4. de Trinitate cap. 20. Patrem vocat Principium totius Deitatis. Cæterùm argumenta, quæ contra nostram sententiam à parte adversa solent produci in aciem, profligavit Scheiblerus, locò supra allegatò. Ea igitur jugulare nos quidem superfedemus.

## §. IX.

Postquam demonstravimus hætenus, Patrem rectè Principium Filii dici, ecquid jam, ut ad secundam quoque quæstionum veniamus, prohibeat, quò minus Filius Dei Principiatum Patris salutari possit? Etenim (ne & hîc, quod ad *ἐξ ἑαυτοῦ ὑπάρχων* pertinet, omittam,) ante omnia censeo, Principiatum pro correlato Principii rectè posse adsumi, quod duplici ratione ostendo. Nam primò omnes Philosophi consentiunt, licere in Relationibus *ὀνοματοποιεῖν*, quoties correlatum idoneo nomine destituitur, illamque denominationem à relato ipso petendam esse. Quod quidem commodè ad præsens negotium applicat Stahlius in expl. Tab. 5. Metaph. dum ait: Non  
vide-



videmus, cur negemus, Principiatum esse correlatum Principii. Aristoteles lib. 7. Categoriarum docet, quomodo comparata esse debeant correlata, si non habeant nomen. Nempe derivandum esse à relati nomine tale nomen, quod complectatur omnia illa, ad quæ relatum refertur, & ita quidem, ut, sicut relatum refertur ad ipsum, ita ipsum referatur ad relatum. Declarat quoque rem exemplis. Ab ala, inquit, derivatur alatum, à clavo clavatum, à capite capitatum. Jam hæc sunt correlata, ut dicitur ἀντι-  
ἄλλοις hoc modo: Clavus est clavati clavus, & clavatum est clavi clavatum. Caput est capitati caput, & capitatum est capitis capitatum. Pari igitur pacto & hinc dicere licebit: Principium est Principiati Principium, & Principiatum est Principii Principiatum.

### §. X.

Deinde Metaphysici promiscuè omnes concedunt, Principiatum esse correlatum Principii, quod dependentiam ejus, quod ab ipso procedit, importat. Ergo etiam concedere debent, quod sit correlatum Principii illius, quod nullam dependentiam infert. Nam adsumo canonem communem: Quot modis unum dicitur oppositorum, tot modis dicitur & alterum. Quare si terminus Principii, quod ostendimus supra, eò usque extendi potest, ut nullum involvat influxum causalem aut dependentiam, nullam prioritatem naturæ & temporis, nullam denique conditionem cum imperfectione conjunctam; sed solum notet prioritatem originis, omnis dependentiæ & imperfectionis expertem, nihil obstabit, quò minus & vox Principiati ita ampliatur, ut ejusmodi posterioritatem inferat.

B

§. XI.



## §. XI.

Hoc ita stante, (quod scilicet Principiatum sit correlatum Principii cujuscunque,) distingvo inter Principiatum quod Principio est posterius vel naturâ, vel tempore: & quod est posterius ordine, in specie ordine simplicis originis & naturalis enumerationis. Item distingvo inter Principiatum *περὶ* sic dictum, quod à Principio suo dependet; quemadmodum corpus Physicum à materia, forma, efficiente, & fine: & *δευτέρως* ita vocatum, quod à Principio non dependet: sicque iterum inter non dependens communiter tale, quale est Propositio respectu Exordii, Senator respectu Consulis; & eminenter atque absque omni imperfectione tale. Ultimi generis Principiatum utrinque Filium Dei respectu Patris æterni esse adsero.

## §. XII.

Ita enim, ut jam sententiam meam probem, infero: Si Deus Pater rectè vocatur Principium Filii, Deus quoque Filius rectè vocabitur Principiatum Patris. Atque verum est prius. Ergo & posterius. Consequentia patet ex conditione relatorum, quæ naturâ simul sunt, (scilicet quoad esse suum formale, quatenus sunt relata:) ubi igitur relatum, ibi & correlatum datur. Minor ex supra dictis constat. Item concludo ita: Quodcunque est posterius altero, à quo modo quocunque procedit, illud est ejus Principiatum. Filius in Divinis est posterior Patri, à quo modo quocunque procedit. Ergo Filius in Divinis est Principiatum Patris. Major constat ex natura Principiati. Sicut enim, ut vidimus antè, Principium dicitur id, quod prius est altero, quod ab ipso quocunque modo procedit: ita, vice versâ, Principiatum erit id, quod posterius est altero, à quo modo quocunque procedit.

Minos



Minor probatur, quia Filius per æternam generationem à Patre, (generaliter sumtò processionis vocabulò, in speciali enim suo significato soli Spiritui Sancto, à Patre & Filio essentiam accipienti, tribuitur,) procedit.

### §. XIII.

Nescio igitur, quã de causa nonnulli disputarint, Filium Dei nullã planè ratione Principiatum dici posse, si propriè terminus sumatur; sed oportere simpliciter vocari eum, cuius est Principium. Unde &, secuti cum primis Fontecam Lib. 5. Metaph. cap. 1. qv. 3. s. 4. in Metaphysica Attributo Entis disjuncto, quo illud vel prius est altero, quod ab ipso quòcunqve modò procedit; vel posterius est altero, à quo modò quòcunqve procedit, noluerunt titulum facere: Principium & Principiatum; sed potius: Principium, & id, cuius est Principium, vel id, quod habet Principium, vel, quod est à Principio: nulla aliã ratione moti, quã quia Principiati vox non omni respondeat Principio, cum & Filius DEI Principium quidem, (scilicet Patrem æternum) habeat, & tamen malè Principiatum, benè autem is, cuius est Principium, vel qui est à Principio, appelletur.

### §. XIV.

Equidem solent excipere, vocem Principiati implicare imperfectionem, ac significare aliquid causatum atqve dependens: quare ad Filium Dei applicari non posse. Sed ad hoc respondeo primò, quòd etiam periphrastica illa locutio, scilicet habere Principium, aut esse à Principio, cum imperfectione conjuncta sit, nisi amplietur, & de Principio ordinis simplicisqve originis intelligatur, aut ab hoc & reliquis Principiorum generibus abstrahatur.



ur. Distingvo igitur, ut propius ad rem accedam, inter vocem Principiati consideratam in significatione sua materiali, quatenus huic vel illi rei accommodatur: & spectatam in significato suo formali & abstractissimo, quatenus Principiatum est. In priori respectu illam posse imperfectionem aliquam involvere, facile concedo, de posteriori autem nego ac pernego. Deinde verò terminum Principiati semper notare causatum atque dependens, falsum etiam est: id quod vel ex ipsorum, qui *ἐν τῆς ἐναντίας* sunt, confessione constare potest. Nam annon etiam quæ à Principiis *δεύτερος* talibus iisque communibus (quò pertinent illa Principia (1.) à quibus quid movetur, (2.) quæ digniora & præstantiora sunt, (3.) quæ faciliora sunt, (4.) quæ primo loco ponuntur, ) procedunt, v. gr. quando Propositio procedit ab Exordio, Senator à Consule, Professor à Rectore, Principiata sunt? Sunt omnino, quod nec ipsi negant: dicunt enim, eam solùm ob causam se in Metaphysicis à termino Principiati abhorrere, quia ad Filium Dei (item etiam ad Spiritum Sanctum) accommodari nequeat. Et tamen illa omnia à Principiis suis non dependent, vel tanquam causata respiciunt sua Principia.

## §. XV.

Secundò etiam in contrarium urgent hoc, Filium Dei in divinis literis nominari Principium, Apoc. I, 8. Proverb. VIII, 22. Atque cum his etiam concordare Symbolum Nicenum, Filium vocans Principium de Principio, item Athanasianum &c. Ergò sequi, quòd non possit dici Principiatum. Sed respondeo & hìc primò *κατὰ βίαιον*. Ergò etiam non dici poterit habens Principium, vel is, cuius est Principium. Deinde verò dico, Filium Dei

utrum-



utrumque rectè dici, & Principium & Principiatum: verum diversò modò & respectu. Principium enim dicitur partim personale, ratione Spiritûs Sancti, qui ab ipso, sicut & à Patre, procedit: partim essentielle, ratione creaturarum, quæ, ut à Patre & Spiritu Sancto, ita etiam à Filio dependent. Principiatum autem appellatur respectu Parris, sicut hætenus expositum est. Cæterum nostram sententiam defendunt Becanus Theol. Schol. pag. 1. tr. 2. cap. 4. qv. 6. pag. 273. P. Voëtius in Philosoph. prim. Reform. cap. 20. pag. 419. Ebel. Colleg. Metaph. disp. 22. sect. 2. artic. 2. Prückner. in Compend. Metaphys. & alii.

## §. XVI.

Ut ut verò hæc ita sese ex rei veritate habeant, veluti tradidimus huc usque, nemini tamen facile autor essem, ut terminum Principiari de Filio DEI planè liberè adhiberet, sicut & ipse libentius à Παρρησία ista abstinere. Etenim nihil prius & antiquius nobis debet esse gloria Dei: qua de causa & ab omni specie mala abstinendum esse, monet Gentium Doctor, 1. Thess. V, 22. Nunc verò cum Principiatum usitatius dependentiam quandam inferat, facile Arriani, Photiniani, & alii Deitatis Filii DEI hostes sinistrè de nobis, phrasin istam frequentantibus, suspicari, aut saltem sugillare & traducere nos possent, quasi in maledictam ipsorum sententiam, de dependentia & essentia distincta Filii à Patre, concederemus: quod verò à nobis quàm longissimè, quantum quidem salus æterna nobis cordi est, remotum volumus.

B 3

§. XVII.



## §. XVII.

Atque hoc ipsum etiam intuens orthodoxa antiquitas, cum primis Ecclesia Latina, religioni habuit, Filium DEI Principiatum Patris nominare. Cum hac itaque non sentire tantum, sed & loqui convenientissimum est, atque adeò Filium DEI dicere Principium de Principio, quemadmodum & lumen de lumine, Deus verus de vero Deo in Symbolo Niceno dicitur. Et huc quoque tendunt graves & fideles admonitiones nostrorum & Theologorum & Philosophorum Christianorum, quòd illa locutio sit fugienda. Abstinendum, ait Beat. Jacobus Martini, Dispp. in 1. Art. A. C. Disp. 19. qv. 6. ab his & similibus phrasibus est, cum uti illis nulla cogat necessitas. Idem inculcant Magnif. Dn. Doct. Calov. Beat. Scharfius, Gutkuis, atque alii, quos citavit Cl. Weissius in Compend. Metaph. cap. de Princip. & Principiat. Ax. 1. Quid? quòd & ipse Ebelius, qui præ aliis omnibus sententiam de Filio DEI Principiato Patris propugnat, tandem tamen addat, si quis, intuitu imperfectionis, ab hoc termino Principiati in Divinis abstinere velit, se ei non repugnaturum.

## §. XVIII.

Ut adeò mihi per omnia non conveniat cum Græcis, de quibus refert Thomas s. 1. qvæst. 33. a. 1. quòd Filium & Spiritum Sanctum in Divinis Principiata dicere nulli dubitent. Sicut multò minùs, si propriè loqui velimus, probandum venit, quod habet Damalcenus Lib. de O. F. cap. 13. ubi dicit, esse ἀνάτιον Patri, ἀτιάτων verò Filio & Spiritui Sancto competere: item quod



quod ponit Eusebius Lib. 4. Demonstrat. Evangel. qui Filium *ὑποτάκτου* sive essentiatum nuncupat.

### §. XIX.

Summa igitur Disputationis meæ eò redit denique, nihil quidem obstare, quò minùs Filius Dei Principiati nomine venire queat : sed tutius tamen esse, ab ista loquendi ratione in *περάξει* abstinere. Quò nomine omnino meliùs faciunt, quibus Filius audit habens Principium, vel is, cuius est Principium, quàm quibus Principiatum salutatur. Prior enim locutio non est ita suspecta, atque posterior ; quamvis aliàs ambæ quoad rem planè coincidunt. Propterea etiam nequaquam de ponte sunt præcipitandi Doctores veteres, qui in Compendiis & Systematibus suis Metaphysicis rubricam de Principio, & Eo, cuius est Principium, rubro de Principio & Principiato præferunt ; cum Principiatum non de omni eo, cuius est Principium (sicut ex dictis apparet) soleat usurpari.

### §. XX.

Quæ hætenus disputata sunt de Filio DEI, illa planè etiam valent de Spiritu Sancto ; modò ex fide Christiana supponatur, Spiritum Sanctum à Patre & Filio simul, & quidem non ut à duobus Principiis, sed ut ab unico Principio, procedere. Licebit ergò Patrem unà cum Filio Principium Spiritus Sancti appellare, non quidem, quod prius sit naturâ, tempore, vel dignitate, aut alia prioritate imperfectionem inferente ; sed  
priori-



prioritate ordinis, in specie simplicis originis & natura-  
lis enumerationis: Item quod non consecutionem cum  
dependentia ejus, quod est à Principio, conjunctam in-  
volvat. Rursus licebit Spiritum Sanctum dicere Princi-  
piatum Patris & Filii, scilicet tale Principiatum, quod,  
proportionatum sit Principio suo: quamvis in praxi hac  
locutio potius sit vitanda. Quorum verò singulorum ra-  
tiones cum ex antè dictis facile consent, nihil hinc addi-  
mus amplius, sed potius hanc tractationem obfirmamus,  
**DEO** immortali, qui, ut est omnium actionum  
nostrarum, sic & hujus studii fuit **Principium**  
**ac Autor, gratias summas exsol-**  
**ventes.**



Quae hactenus dicta sunt sunt de Filio DEI, illa  
quae etiam videntur de Spiritu Sancto: modo ex his  
Christianis supponitur. Spiritum Sanctum à Patre & Fi-  
lio simul, & quidem non ut à duobus Principiis, sed ut  
ab unico Principio, procedere. Jacobus ego hanc  
sententiam hinc Principium spiritus sancti appellare, non  
quidem, quod pater sit natura, tempore, vel dignitate,  
sed, aut alia ratione imperfectionis inferioris, sed  
prior.














90

APHYSICIS  
onem.:

# Personas

ATIS Principii &  
pectus locum

iat.?


υζητήσεις  
III. April.

nunt

SES

ES Müller/

DENS  
AMUEL Ziegra/  
A-SAXO.



ERGÆ,  
CKELII, Acad. Typogr.  
C. LXXVI.